



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Primam, & Secundam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Poenarvm Contra alienantes bona Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98587)

Emphyteuta ecclesiæ tenetur ad censum, data etiã nullitate contractus, fallit tamen, quando fuit dictum in concessione, quod concedens habeat potestatem concedendi sine assensu Apost. de Franc. dec. 296. p. 21

Favore ecclesiæ res, pro qua soluit aliquid annuum, potius præsumitur emphyteutica, quam censualis, sed quando hoc procedit vide Aug. Bero. quæst. 14.

Emphyteusis ecclesiæ, monasterio acquiritur per ingressum illius, qui ad emphyteusim vocatus erat, etiam si esset concessa cum pacto, quod non possit in certam Ecclesiam alienari Bero. quæst. 70.

Emphyteusis concessa pro filiabus, quæ virum legitimum habuerint seu acceperint, per ingressum filiarum in monasterium transit. Bero. quæst. 70. iam dicta.

Successio emphyteusis ecclesiasticæ tradita ad vsu successionis, quæ a laico transiit in ecclesiam, quomodo reguletur vide D. Sen. Sola in constit. antiq. Sabaudia tit. de iur. emphyt. glos. 7. num. 13. super decreto reipublic. part. 2. fol. 24.

Ecclesia concedens rem in emphyteusim perpetuam, solum videtur concedere vsque ad tertiam generationem Franch. Cremon. singular. 116.

Emphyteusis concessa alicui a monasterio cum pacto, quod etiam in feminam transeat, quæ nubat subdito iurisdictioni monasterij potest retineri, licet extraneo nupserit, si is velit iurisdictioni ipsius monasterij se submittere Corf. in sing. lit. E. sing. Emph. 1.

Emphyteuta ecclesiæ non potest expellere colonum bene elaborantem terras de fundo, in quo per maximum tempus steterit, alias priuatur emphyteusi ibidem singul. emphyteusis 3. sed quando dictum procedat, vide Hyppol. singul. 548.

Ecclesia, & si in perpetuum bona alienat, dat tamen in emphyteusim, vide de materia per Bart. in auth. perpetua C. de sacrosanct. Eccles. & in auth. de non alien. vel permutat. reb. eccles. Emphyteuta ecclesiæ meliorationes suas non vendit, nisi seruatis ijs, de quibus in cap. fin. ext. de loc. & cond.

De rebus ecclesiæ concessis in emphyteusim iuxta solitum, & lege prohibente nempe in perpetuum vide Afflict. decis. 107.

Bona ecclesiastica alias in emphyteusim data, reuerfa ad ecclesiam, poterunt in emphyteusim rursum tradi, non seruata solemnitate alias requisita Guid. Pap. q. 100. vide consil. impressum inter decis. Borgnin. post decis. 20. de contract. par. 2. num. 56. & seq. & num. 198. Papon. li. 1. tit. 14. Arest. 1. 7. & 9. Menoc. conf. 79. vol. 1.

Terræ Ecclesiæ incultæ possunt per Prælatum cum solemnitate dari in emphyteusim perpetuam, vel in feudum Guid. Pap. quæst. 158.

Concessio in emphyteusim rei eccl. a sit alienat. & fieri possit, & qualiter, vide Pet. de Ben. decis. 13.

Emphyt. eccl. si concedatur pro se, & suo hærede tã, tum de p. hærede est intelligendum Marefc. q. 103. p. 2.

Emphyteusis ecclesiæ super qua non interuenit decretum Apostolicum, nulla est Affl. decis. 85. num. 5.

Emphyteutica res venit in generali hypotheca. & potest obligari Afflict. decis. 191.

Emphyt. eccl. concessa pro se, & filiis, an feminæ comprehendantur: variæ sunt DD. opiniones sed pro concordia vide Ioseph. Ludou. decis. Lucen. 19. & de Franch. decis. 30. Magon. decis. 7.

Finis Tituli Emphyteusis.

PRAXIS POENARVM CONTRA alienantes bona Ecclesiæ.

RESOLVT. CXXXI.

Malè alienans rem Ecclesiæ ad quid teneatur.

- 1 Alienans absque requisitis in foro interiori, & exteriori tenetur, & quando accipiens teneatur remissuè.
- 2 Excusatus à peccato, intelligitur etiam excusatus à restitutione, & quando dignoscatur excusatus à peccato.



Espondeo dicendo, quod Nauar. proponit hanc dec. in tract. de reb. Eccl. non alien. num. 24. & 25. & pro eius resolutione dicit, quod est tractanda in foro exteriori, & interiori. Quoad forum interius dicit, quod interdum accidit, quod alienans peccat, & in

hoc casu solum ipse tenetur ad restituendum, & interdum accidit solum accipientem peccare, & tunc ipse solus debet damnum restituere, & interdum vtrumque peccare, & omnes tenentur restituere. Ecclesia autem non peccat, & delictum persona non debet nocere illi, nec etiam teneri; unde quando excusantur à peccato alienans, & accipiens, excusantur similiter à restitutione, & ad sciendum, quando à peccato excusantur, est necessario consideranda qualitas personarum, negotiorum, & erroris, aut ignorantie, an sit iuris, aut facti, & qualis iuris, aut diuini, vel humani, an clari, aut dubij, vt videre est apud Felia. in cap. 4. num. 24. de præsumpt.

Quoad forum autem exterius, idem respondendum, si idem probatur in eo, quod in interiori, sed frequenter in exteriori; iudicandum est secundum præsumptiones aliquas allegatas, & probatas, quæ frequenter sunt contrariæ veritati, & consequenter contrarium tunc est iudicandum in illo foro.

RESOLVT. CXXXII.

Pœnæ alienantium bona ecclesiastica quot, & quanam sint.

- 1 Pœna alienantium bona ecclesiastica absque requisitis sex reperitur.
- 2 Alienans bona Ecclesiastica in nonnullis casibus absque solemnitate à pœnis excusatur.
- 3 Verbum præsumplerit, quid denotat.

Pœnæ demum, quas patitur malè alienans prædicta bona, hæ sunt, nam primò in excommunicationem ipso facto incidit, vt habetur in extrauag. ambitiofæ de reb. eccl. non alien.

Secundo ipso facto priuatus est beneficio ecclesiastico, cuius bona alienauit, & sine alia declaratione, vacare censetur, & idcirco conferri liberè potest ab ordinario, ad quem eius collatio pertinet, vt dicitur in eadem extrauagan.

Tertio eidem amplius illud conferri non potest, vt ibi dicitur.

Quarto Episcopus, vel Abbas ingressum Ecclesiæ interdictum habet, & si per sex menses immediatè se quæretes sub interdicto huiusmodi animo indurato perseuerauerint, ipsis mensibus elapsis sunt suspensi ab administratione suæ ecclesiæ, seu monasterij in spiritalibus, & temporalibus, vt habetur in dict. extranag.

Quinto per sententiam deponi possunt glos. in c. monemus

nemus 2. q. 2. & Abb. in c. si quis presbyterorum n. 10. de rebus eccles. non alien.

Postremo mortiferè peccant, id quod probatur, quia ipso iure sunt excommunicati præter prædictas penas; nam excommunicatio maior, non inferitur, nisi pro lethali peccato cap. nemo, & cap. nullus 11. q. 3. & facit cit. cap. si quis presbyterorum, & Vgolin. de potest. Episcop. cap. 14. §. 6.

- 2 A prædictis tamen poenis excusatur alienans in non nullis casibus; primo ex bona fide; quia dicitur in tex. præsumperit, quod verbum denotat dolum atque temeritatem Bald. consil. 486. n. 5. vol. 4. Arch. in c. si quis suadete 17. q. 4. & Nauar. in proprijs loquens terminis consil. 19. de rebus Eccl. non alien. secundo reuocatio alienationis, & penitentia ante realem, & pacificam traditione etiam excusat d. cap. si quis presbyterorum, & ibi glos. verbo celeriter Codar. lib. 2. var. resol. c. 16. n. 7. reuocatio enim post traditione non excusat à censura, Nauar. consil. 3. n. 4. de reb. eccl. non alien. Tertio excusat ignorantia facti probabilis, ac ignorantia iuris in personis non ita peritis. Nauar. in Manual. Confess. cap. 23. num. 44. & faciunt in argumentum tex. in cap. si celeriter, & c. si Apostolica extr. de cler. excommunic. ministran. iuncto cap. eos de tempor. ordin. lib. 6.

RESOLVT. CXXXIII.

An poena priuationis beneficii ipso iure inflicta contra alienantis bona ecclesiastica sine solemnitate intelligatur ipso iure absque declaratoria.

- 1 Poena priuationis beneficii ipse iuri alienanti datur absque solemnitate.
2 Sententia declaratoria requiritur ad amittendum beneficium alienantis bona ecclesiastica absque requisitis.
3 Poena inflicta ipso iure semper Iudicis declarationem requirit tam in foro fori, quam conscientie, num. 4.

Inter poenas inflictas ab extrauag. ambitiosæ, contra alienantis bona ecclesiastica absque solemnitate, quoad beneficiatos, est priuatio ipso facto illius beneficii, cuius bona alienauerint. Questionis nunc est, an requiratur sententia declaratoria illiusque executio per Iudicem, cui responderetur quod communis resolutio scribentium est pro affirmatiua, prout extare videtur in proprijs terminis Paulinæ Henriquez lib. 13. de excomm. cap. 56. Quar. Summ. Bullar. vers. alienatio in fine, cuius conclusionis vera est ratio, quoniam poena inflicta ipso iure, requirit semper Iudicis declarationem, in quam poenam neminem incidere antea testatur Achil. de Grassi. decis. 1. de penis, Gram. dec. 5. Surdus decis. 143. Gaspar. Thesaur. decis. 40. Anton. Faber. decis. 3. de penis, & ita totum mundum seruare, testatur Magon. decis. 16. Gram. citat. decis. quod adeo verum est, ut procedat pariter in foro conscientie, quoniam poena ipso iure indulta non habet locum in foro conscientie ante condemnationem glos. in cap. fraternitas 12. quæst. 2. Felin. in cap. 1. numer. 47. de constit. Nauar. in Manual. confess. cap. 23. num. 66. Molin. de iustit. & iur. disput. 86.

Finis Praxis alienationis rerum Ecclesie.

PRAXIS IURISPATRONATUS.

RESOLVT. CXXXIV.

Iuripatronatus quibus modis probetur.

- 1 Iuripatronatus quibus modis acquiratur.
2 In fundatione iuripatronatus exigitur consensus Episcopi,

pi, & an sufficiat ex post facto interuenire.

- 3 Regula fundationis, & donationis ampliatur varijs modis.



Eiectis omnibus probandi modis, quibus olim probabatur iuripatronatus, nunc per sanctissimam dispositionem Concilij Tridentini sess. 25. de reform. cap. 9. ad tres tantummodo probationis species reducit, scilicet duas quoad patronatus priuato-

rum, & alteram quoad personas potentes, vniuersitates, ceterosque, in quibus usurpatio præsumitur. Prima igitur est per authenticum instrumentum fundationis, vel donationis, quoniam præfatis modis, & non aliter tam inter laicos, quam clericos iuripatronatus acquiratur, gl. communiter recepta in cap. præmentis, 16. q. 7. cap. 3. de iure patronat. conf. 7. eod. tit.

- 2 Intellige primo, dummodo in tali fundatione, seu dotatione interuenit auctoritas, siue consensus Episcopi, & non alias, cap. nobis, & ibi DD. de iure patronatus, Rota diuers. in decis. 222. & 223. nu. 3. part. 1. & in dec. 85. par. 2. & fuit pluries per eandem Rotam resolutum, & signanter in vna Imolen. iuripatronatus 18. Nouembris 1578. coram Cantuccio, & iterum in vna Toletana iuripatronatus 18. Martij 1602. coram Corduba, & facit decis. 99. par. 2. diuers.

- 3 Qui consensus sufficit, quod interueniat ex post facto, Rota in vna Aquen. iuripatronatus 7. Nouembr. 1601. coram Illustrissimo Seraphino, & præsumitur interuenisse ex diuturnitate temporis, ut fuit resolutum per Rot. in vna Romana iuripatronatus 10. Martij 1595. coram Illustrissimo Millino, Caputaq. in decis. 185. par. 2. & fuit pariter decum in vna Lucana cappelle 20. Iunij 1567. coram Seraphino, non tamen præfatus consensus poterit præstari per Vicarij Episcopi absque speciali mandato, Cald. conf. 3. de offic. Vic. Ferret. conf. 327. & conf. 343. & 444. Rot. decis. 2. de confirmat. vtili, vel inutili, Rota in vna Placentina de Mirabel. coram Licta, & an, & quando presumatur facultas Vicarij, qui iuripatronatus consentit, vide Rot. in dec. 96. par. 1. diuers. Capitulum tamen Sede vacante potest dare licentiam volenti edificare Ecclesiam, ut fiat patronus, Calder. conf. 3. de iure patr. & an Regulares possint edificare sine licentia Ordinarij vide latissime per Rodriguez 2. tom. q. regul. quæst. 49. art. 3.

- 3 Intellige, & amplia secundo, ut fundans, construens, vel dotans Ecclesiam, seu beneficium, acquirat iuripatronatus, etiam si illud non seruauerit, dummodo expresse non remiserit, cap. nobis, de iure patron. Rot. in decis. 5. eod. tit. in antiquis, & in decis. 167. fundans tamen Ecclesiam, seu cappellam potest in totum, vel pro parte remittere iuripatronatus, & limitatè illud inducere in præiudicium hæredum, vel descendentiū, ut sibi placuerit, cap. significauit de testamen. cap. 1. de iure patron. in 6. Rota diuers. in decis. 385. par. 1. nu. 14. & iterum fuit tentum in vna Cremon. iuripatronatus 18. Maij 1578. coram Robustero, & iterum in vna probationis iuripatronatus, 9. Iunij 1578. coram Illustrissimo Seraphino.

Declaratur tertio, ita demum acquiri iuripatronatus ex dotatione, si sit congrua, & sufficiens, nam dotans insufficienter, non efficitur patronus, cap. quicunque, 16. quæst. 7. Abbas in cap. ad audientiam, de eccl. edific. num. 4. Rota in decis. 528. sub. num. 2. par. 1. diuers. & censuit Sacra Congregatio Concilij per hæc verba: Dotans insufficienter, quod arbitrabitur Ordinarius, non acquirit iuripatronatus, sed dicitur benefactor.

Declaratur quarto, ut acquiratur ex dotatione ecclesie etiam iam constructæ, & etiam iam consecratæ, quando esset absque dote, & cum consensu Episcopi id fieret, Innoc. in rubr. de iure patron. Rot. in decis. 528. part.